

249, 156.

VALERI CATONIS

QUAE FERUNTUR

CARMINA

RECENSUIT NOTISQUE INSTRUXIT

FRANC. CASPAR GOEBBEL
PHIL. DOCTOR



PRAEMISSUS EST LIBELLUS DE DIRARUM COMPOSITIONE
STROPHICA EMENDATUS

PROSTAT WARENDORPII
APUD IOS. SCHNELL BIBLIOPOLAM ET TYPOGRAPHUM
MDCCLXV

Qwa
10 (1865)



Οὐ δύναμαι σοι, θνυμέ, παρασχεῖν ἄρομενα πάντα
τέτλαθν τῶν δὲ καλῶν οὔτι σὺ μούνος ἐρῶς.

Theognis.

Praefatio.

Quum anno 1861 commentationem de strophica Valeri Catonis Dirarum compositione edidissem, exstitit vir quidam doctus, qui in Zarnckii Litt. Centralbl. eiusdem anni num. 37 eius libelli censuram fecit. Concessit quidem vir ille doctus me aliquot locis responsionem strophicam demonstrasse, sed esse in libro contendit, quae sibi parum probentur, et me ad genuinam pristinamque carminis scripturam nondum accessisse arguant. Quum igitur ea sit humana debilitas, ut primo quasi oculorum obtutu omnia videre non possimus, iterato studio denuo laborem meum atque diligentiam carmini Dirarum navabam. Qua in re mihi contigit, ut difficultates carminis, praesertim secundae partis, quas et ipse optime senseram et censor ille doctus monuit, librorum scriptorum lectionibus nisus tollerem. In prima autem parte etiam nunc praeter eam, quam statui in commentatione illa, lacunam agnoscere possum nullam. Quum igitur Diras quantum fieri potest, emendasse mihi viderer, non minus laboris atque studii in eclogam impendere constitui. Sed quum versum intercalarem non habeat, divisionem strophicam demonstrare non potui, praesertim, quum carmen illud non minus mutilum et corruptum sit, quam Dirae. In emendanda autem ecloga ita

versatus sum, ut nihil contra optimorum librorum scripturam mutandum esse censerem, ubicunque lacunae indicia reperiebantur. Eiusmodi vero loci non erant pauci.

Valerium Catonem, qui summis laudibus a scriptoribus sui temporis effertur, carminum horum scriptorem esse, neque antea credidi neque nunc mihi persuadere possum. Sermonis enim genus est durum parumque excultum, sententiae abruptae maleque interdum inter se coniunctae. Exercitia esse opinor hominis cuiusdam poeticae studiosi, quae ad Lucani tempora proxime accedunt.

Scr. Warendorpii a. d. X. Cal. Aug. MDCCCLXV.

Dr. Goebbel.

De Dirarum compositione strophica
commentatio.

Quum primo Diras accuratius tractarem, mox intelligebam,
versus 102 et 103:

Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:

Gaudia semper enim tua me meminisse licebit,

eo quo nunc leguntur loco nullam carminis naturae aptam sententiam praebere, sed in alium locum transferendos esse. Ut ita cogitarem, commovit me Naekius, qui p. 138 haec scribit: „Non alienum est usitatum poëtis latinis quicquid ero. Sed tamen hoc de homine in elementa ignis et aquae post mortem dissolvendo non memini me legere alibi.“ Ad hoc accedebat, quod v. 102 „deest in codicibus Basil., Voss. II., Vratisl. II., in Romana utraque, et in omni libro antiquissimo, praeter unam Mutinensem, in qua ille hoc suo loco legitur.“ Iam dubium esse non potest, quo illi versus loco ponendi sint, si sententiam eorum cum sententia totius carminis comparamus. Poëta enim, quisquis ille est, agrum suum igni et aqua devovet, ignem et aquam ad eum devastandum et diripiendum provocat. Nihil igitur veri similius est, quam poëtam v. 102 et 103 ad agrum sese convertisse, cui vale dicturus esset. Videmus versus illos cum totius carminis sententia optime quadrare. Vale dicit autem poëta agro versibus 86—90, a quo versu ad greges sese convertit. Quae quum ita sint, minime dubitabam vv. 102 et 103 post versum 90 collocare, ubi aptissimam toti carmini sententiam efficiunt. Dicit

Campos audire licebit:

Dulcia rura valete, et Lydia, dulcior illis,

Et casti fontes et felix nomen agelli: 90

Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo: 102

Gaudia semper enim tua me meminisse licebit, 103

i. e.: quamvis te, agelle, igni et aqua devoverim tuque interiturus sis, tamen semper te amabo, quum mihi liceat, gaudia tua

(quae ex te percepi) meminisse. Transpositis vv. 102 et 103 post v. 90 carmen quatuor versibus finitur, quibus cum vv. 4—7 et propter sententiam et propter constructionem grammaticam summa intercedit similitudo. Nam in utroque loco singula singulis quaternis paribus opponuntur:

vv. 4—7:	vv. 98—101:
haedi—lupi	dulcia—amara
vituli—leones	mollia—dura
delphini—pisces	candida—nigra
columbae—aquilae	dextera—laeva

Deinde uterque locus simillimis sententiis finitur: vv. 6. 7:

Et conversa retro rerum discordia gliscet

Multa prius, fuerit quam non mea libera avena;

vv. 100. 101:

Migrabunt casus aliena in corpora rerum,

Quam tua de nostris emigret cura medullis.

Iam, opinor, cuique manifestum erit, hac aequabilitate atque responsione consulto poëtam usum esse. Duos igitur locos invenimus, quibus haud facile quisquam indolem atque naturam stropharum abiudicabit.

Sed accedit aliud indicium, quo commoti carmen nostrum strophicum esse statuimus, intercalares dico seu interpositos versus (*παρομβεβλημένους*), quorum ea natura est, ut extra sententiarum ordinem positi inter singulas strophas collocentur. Eiusmodi versus non raro apud poëtas antiquos inveniuntur. Plurimos editor Pervigilii Veneris pristino nitore restituti (Lipsiae ap. Engelmann, 1852) collegit p. 7 sqq., ubi tamen intercalares Dirarum omissi sunt. Quaeritur, utrum his versibus poemata in strophas sibi versuum numero respondententes dividantur, an ex arbitrio poëtae ponantur? Quod si quaeritur, respondendum est, quodque carmen diligentissime investigandum esse, priusquam decerni possit, utrum strophicum sit an astrôphum. Quod ad Diras attinet, hanc meam opinionem proferre non dubito: Diras esse carmen strophicum, intercalares eam vim atque potestatem habere, ut iis singulae strophae separentur, falsamque esse Naekii sententiam, poëtam non curasse, ut paribus intervallis poneret intercalares, quo paria fierent media inter

versus intercalares systemata. Naeke p. 24. Sed videamus, quinam versus intercalares habendi sint. Intercalares, de quibus nemo dubitare potest, hi sunt:

1. v. 1:

Battare, cycneas repetamus carmine voces;

2. v. 14:

Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen;

3. vv. 25. 47:

Sic precor, et nostris superent haec carmina votis;

4. v. 54:

Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen;

5. v. 71:

Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen;

6. v. 75:

Tristius hoc rursus dixit mea fistula carmen;

7. v. 97:

Extremum carmen revocemus, Battare, avena.

Praeter hos versus Naekius secundum et tertium carminis et hosce in numero intercalarium habet:

1. v. 7:

Multa prius, fuerit quam non mea libera avena;

2. v. 19:

Nec desit nostris devotum carmen avenis;

3. v. 30:

Nec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen;

4. v. 62:

Rura, quibus diras indiximus, impia vota.

Hi postremi versus, quos non esse intercalares contendo, in stropharum dispositione magnae erunt utilitati.

Habent enim singulare quiddam, quo et ab intercalaribus et ab reliquis versibus discernuntur. Suo loco videbimus, quae vis illis tribuenda sit. Tres primi versus:

Battare, cycneas repetamus carmine voces,

Divisas iterum sedes et rura canamus,

Rura, quibus Diras indiximus, impia vota,

non esse intercalares iam ex eo intelligimus, quod sunt prooemium totius carminis. Simile quiddam invenimus in Bionis epitaphio Adonidis, cuius versus 1, 2:

*Αιάξω τὸν Ἄδωνιν ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις,
ἄλετο καλὸς Ἄδωνις, ἐπαιάξουσιν Ἐρωτες*

toti carmini praemissi in sequentibus saepius repetuntur.

Nostri carminis primum versum:

Battare, cycneas repetamus carmine voces,
quum naturam et indolem ephymnii evidenter prae se ferat,
non dubitavi post v. 7 restituere, non autem post v. 3, quia tres
primi versus stropham non efficiunt, intercalares autem post
singulas strophas ponuntur.

Sex illi versus, quibus supra indolem atque naturam intercalarium attribuimus, sine ullo ordine, ulla lege per totum carmen dispersi sunt, ut pluribus locis eos excidisse iudicare debeamus. Qui enim fit, ut versus 71 et 75 sibi adeo vicini sint, dum inter versus 25 et 47, inter versus 75 et 97 magnum est intervallum, in quo nullum deprehendimus intercalarem? Consentaneum erat profecto, si omnino poeta intercalari uti vellet, eum ex certa quadam lege adhibere. Quare minime dubitabimus eum ibi restituere, ubi certa manifestaue indicia, stropham finiri, invenerimus. Quod spero fore ut mihi contingat. Versus 4—7 sunt prooemium sive proodus versuum 8—81, quibus respondet epodus, quae eadem quatuor versibus efficitur, 98—101. Qui versus ad partem carminis a versu 82—97 pertinent. Ipsa execratio ab iis versibus, quibus poeta agro suo vale dicit, quatuor versibus 82—85 separatur, quorum sententia ita comparata est, ut ad antecedentia et subsequentia aptissima sit mediumque locum inter execrationem et valedictionem obtineat et quasi *διὰ μέσον* posita esse videatur. Sunt iidem versus et epodus devotionis et proodus valedictionis. Priores duo versus 82 83:

O male devoti, praetorum crimina, agelli

Tuque inimica tui semper discordia civis!

ad praecedentia spectant, versus autem 83 84:

Exsul ego indemnatus, egens, mea rura reliqui,

Miles ut accipiat funesti praemia belli

ad extremam carminis partem referendi sunt.

Quemadmodum totum carmen tribus strophis quaternorum versuum: vv. 4—7, vv. 82—85, vv. 96—101, in duas partes dividitur, quarum prior execrationi praemissa, altera inter execrationem et valedictionem posita est, tertia hanc sequitur: ita etiam execratio tribus strophis senorum versuum distincta est. Sunt autem hae strophae: vv. 8—13, vv. 48—53, vv. 76—81. Priores sex versus stropham efficere ex eo intelligitur, quod a praecedentibus sensu secernuntur; nam devotio a versu octavo:

Montibus et silvis dicam tua fata, Lycurge,
incipit, a sequentibus autem intercalari:

Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen,
distinguuntur. Altera autem stropha, vv. 48—53, item a v. 46
intercalari v. 47:

Sic precor et nostris superent haec carmina votis,
a versu 55 intercalari v. 54:

Tristius hoc, memini, revocasti, Battare carmen,
separata est. Tertia denique stropha vv. 76—81 a v. 74 ephym-
nio v. 75:

Tristius hoc rursum dixit mea fistula carmen, a v. 82
sensu distincta est. Nihil igitur videmus obstare, quominus has
carminis partes strophas sibi versuum numero respondententes esse
statuamus, praesertim, quum nihil contra libros mutandum sit.
Nam collocatio earum ea est, quae primo obtutu strophas prodant.

A prima enim stropha tota execratio, ab altera ea pars
carminis incipit, qua poeta agrum suum aqua devovet, tertia
totam execrationem concludit. Quin etiam intercalares in libris
antiquis et optimis omnibus suo quisque loco scripti inveniuntur.

Nemo, opinor, erit, qui iam de consilio poetae, quo totum
carmen strophis numero versuum sibi respondentibus conscripsit,
dubitare possit, quum praeter priores tres quaternorum versuum
alias tres senorum evidentissimis rationibus eruerimus.

Sed rem ipsam persequamur. Post intercalarem v. 14
proximus est v. 25:

Sic precor et nostris superent haec carmina votis.
Intra hos leguntur decem versus, qui duas strophas quinquorum
versuum efficiunt. Quam divisionem ne quis arbitrariam esse
putet, hoc velim consideret. In prima enim stropha poeta ea

omnia devovet, quae ad vitam in agro necessaria sunt, in altera ea, quae eam iucundam reddunt. Ad sensus diversitatem accedit, quod poeta ad personam quandam transit, quum strophas finire vult. Quod nostro loco fit versu 19:

Nec desit nostris devotum germen avenis.

Praeter hunc versum conferas vv. 35 36:

Juppiter, ipse

Juppiter hanc aluit, cinis haec tibi fiat oportet,
v. 7: fuerit quam non mea libera avena,
vv. 52, 53: Qua Vulcanos agros pastus Jovis ignibus arceat,
Barbara dicatur Libycae soror, altera Syrtis.

Huiusmodi versus non sunt intercalares, quoniam sensu cum stropha coniuncti sunt, sed finem seu catalexin stropharum indicant. Hinc sequitur: Ubi poeta aut transit ad personam aliquam aut devotionem generaliter paucis complectitur, ibi *κατάληξις* strophae statuenda est.

Sed maior in constituendis strophis difficultas a v. 26 oritur. Proximus enim intercalaris a v. 25 invenitur v. 47, idemque est atque versus 25. Quas strophas cognovimus, eae omnes versuum numero pares erant, saltem binae. Hoc loco autem una undecim, una decem versibus constaret, si nullum de scriptura esset dubium. Praeterea indicia sunt, quae nos impediunt, quominus ex duabus strophis hunc locum constare putemus. Quod enim ad sensum attinet, in duas partes dividi potest, quarum primam versus 26—41 alteram vv. 42—46 efficiunt. In prima parte silvam, in altera vites, segetes et arbores devovet. Si vero dicendi rationem spectemus, tres partes sunt: vv. 26—36 = 11 vv. — vv. 37—41 = 5 vv. — vv. 42—46 = 5 vv.

In fine enim cuiusque partis eos versus invenimus, quos supra finem stropharum indicare statuimus. Prima pars finitur vv. 35 36:

. Juppiter, ipse

Juppiter hanc aluit: cinis haec tibi fiat oportet;
secunda vv. 40 41:

Quom tua cyaneo resplendens aethere silva
Norit iter ducens Erebo, tua, Lydia, Ditis;

tertia vv. 45 46:

Pertica qua nostros metata est impia agellos,
Qua nostri fines olim, cinis omnia fiant.

Duas postremas partes duas strophas quinquorū versuum esse totius loci natura demonstrat.

Restant undecim versus, 26—36, quibus poeta silvam execrat. Maxime v. 30 offendit suo loco, quum eam indolem prae se ferat, quae finem stropharum indicet. Tum fierent strophae vv. 26—30 = 5 vv. — vv. 31—36 = 6 vv.

Quae divisio etiam minus offensionis haberet, si pro militis impia quom legeretur militis in platanis, quod in aliquot codicibus scriptum est. Tum enim parenthesi opus non esset. Sed plura sunt, quae huic divisioni obstant. Primum enim, si locum earum stropharum, quae senis constant versibus, accuratius consideramus, certo videbimus, non bene hanc nostram collocatam esse. At vero si stropha sex versuum ante stropham quinque versuum posita esset, ut stropha vv. 8—13 et stropha vv. 48—53, secundae partis execrationis initium esset. Tum etiam intercalaris obstat, quum neque v. 15 uti possimus, (praecedit enim iam intercalaris v. 25: Sic precor etc.), neque v. 25 aptus sit, quum vv. 26—30 nullam execrationem contineant. Itaque nihil aliud restat, quam ut versum 30 de loco moveamus, quamquam dubitandum non est, quin a poeta totius carminis profectus sit. Iam efficitur stropha decem versuum vv. 26—36, quae versibus 35 et 36 catalexi

. Jupiter, ipse
Jupiter hunc aluit: cinis haec tibi fiat oportet

finitur. Habet eadem duplicem numerum versuum, quam strophae saepius repetitae quinquorū versuum. Huic respondentem alteram eandemque decem versuum stropham reperire non poteram, quicquid tandem tentabam. Quare suspicor, ante v. 26 stropham decem versuum excidisse, vers. 30 autem eius reliquum esse. Nititur autem haec suspicio rationibus hisce. Mirum enim videtur, poetam novo possessori gaudia non execrasse, quae ex consuetudine atque amore Lydiae perceperat. Et tamen eam facit eius mentionem, quae evidenter ostendat, Lydiam ei non minus caram esse, quam totum agrum. Cf. v. 89: et Lydia dulcior illis;

v. 95: tuque, optima Lydia, salve, vv. 100-101: Migrabunt casus aliena in corpora rerum, Quam tua de nostris emigret cura medullis.

Aptissimum vero locum huius strophae deperditae puto ante versum 25 esse. In stropha enim, quae praecedit, poeta flores, Veneris florentia sarta, devovet. A floribus autem Venerisque mentione transitus ad amorem facillimus est. V. 30, quod ad sensum attinet, eius posse esse reliquum, sine ullo negotio intelligitur. Quae si recte disputata sunt, habebimus duas strophas denorum versuum, quae utrimque binis quinorum circumscribuntur.

Primus intercalaris est v. 1, qui post v. 7 restituendus est. Sequitur stropha sex versuum, post quam v. 14 ephymnium legitur; deinde duae strophae quinorum versuum cum eodem intercalari, tum stropha decem versuum, cui v. 30 vindicavimus. Huius strophae ephymnium est v. 25: Sic precor, e. q. s. Tum altera stropha eademque decem versuum cum eodem ephymnio. Denique duae strophae quinorum versuum, quarum priori idem intercalaris subiungendus est, alterius in codicibus invenitur.

Itaque forma carminis a v. 1 usque ad v. 47 haec est: 3 vv. (Prooemium totius carminis). 4 vv. (Prooemium execrationis).

Battare, cyneas repetamus carmine voces.

6 vv. Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.

5 vv. Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.

5 vv. Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.

10 vv. Sic precor et nostris superent haec carmina votis.

10 vv. Sic precor et nostris superent haec carmina votis.

5 vv. Sic precor et nostris superent haec carmina votis.

5 vv. Sic precor et nostris superent haec carmina votis.

A v. 48 ea carminis pars incipit, qua poeta agrum aqua devovet. Etiam in hac parte intercalaris apparet, qui tamen aliquantum immutatus est. His enim formis invenitur:

v. 54: Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen;

v. 71: Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen;

v. 75: Tristius hoc rursus dixit mea fistula carmen.

In duobus postremis locis intercalares adeo sibi vicini sunt, ut recte suspicari possimus, eum intra versus 55—75 saepius

fuisse repetitum. In hac etiam parte *καταλήξεις* illas stropharum invenimus, de quibus supra diximus. Sunt autem versus 52 53:

Qua Vulcanus agros pastus Jovis ignibus arcet,
Barbara dicatur Libycae soror, altera Syrtis;

vv. 61 62:

Dicantur mea rura ferum mare: Nauta caveto
Rura, quibus diras indiximus, impia vota;

v. 70:

Nec nostros exire sinant erroribus agros;

vv. 80 81:

Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena, civili qui semper crimine crevit.

Etiam in his versibus aequabilitatem animadvertimus, quum prima, secunda et quarta catalexis binis constet versibus, sola tertia uno. Quare ante v. 70 lacunam esse suspicor; quot versuum infra videbimus.

Proprium denique est huius partis, quod duabus execrationibus tres versus antecedunt, qui devotionem non habent. Sunt autem vv. 55—57, vv. 63—65. Soli versus 72—74 non habent eiusmodi prooemium. Hoc autem excidisse sine ulla dubitatione contenderim.

Sed quae strophae hanc carminis partem constituent, demonstrandum est. Ac sex quidem vv. 48—53 stropham esse, supra vidimus. Sequuntur post intercalarem v. 54 octo versus, qui prooemium trium et execrationem quinque versuum continent. Catalexis efficitur versibus 61 62. Qui deinde sequuntur octo versus, 63—70, item prooemio trium et execratione quinque versuum constant. Sed quum sententia versus 66 a loco aliena sit, non est dubitandum, quin aliunde accitus sit. Ipsam enim devotionem a v. 67 incipere veri simillimum est. Ut vero ratio constet, ante v. 70 unum versum excidisse puto. Ita efficitur, ut et execratio quinque versibus constet, et catalexis duorum fiat versuum. Versum autem 66 eius strophae sive prooemii, quod supra excidisse a. 72 statuimus, reliquum esse non dubito. In eiusmodi prooemio sensus eius est aptissimus, non eo loco, ubi nunc legitur ante v. 67. Facile autem fieri potuit, ut oculi librarii ab uno intercalari ad sequentem aberrarent.

Simile quiddam accidit ei librario, qui codicem Weyhenstephanianum scripsit, qui v. 65 pro flumina amica scripsit flumina retro, quod in fine versus 67 legitur. Causa aberrationis erat vocabulam flumina. Si intercalarem causam erroris librarii fuisse statuimus, necesse est, ut versus illi tres deperditi a v. 72 intercalari separati fuerint. Unde sequitur illos versus sive prooemium, quod execrationem praecedit, ab hac intercalari discretum fuisse. Quod cum uno loco factum sit, non est cur negemus, in reliquis locis item prooemia intercalari separata fuisse. Restant vv. 72—74, qui execrationem continent. Deest catalexis duorum versuum, quam excidisse certum est. Cf. not. crit. ad v. 74. Totus igitur locus tribus partibus constat, quae prooemio trinorum et execratione quinorum versuum efficiuntur. Sed quaeritur, ubi in ephymnio tristius, ubi dulcius scribendum sit. Simplicissimum maximeque probabile est poetam alternis versibus vocabulis tristius et dulcius usum esse. Quod si verum est, necesse non est, ut tristius et dulcius invitis libris permutemus. Iam forma huius partis erit haec.

vv. 48—53 = 6 vv.

Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen;

vv. 55—57 = 3 vv.

Dulcius hoc, memini, e. q. s.

vv. 58—62 = 5 vv.

Tristius hoc, memini, e. q. s.

vv. 63—65 = 3 vv.

Dulcius hoc, memini, e. q. s.

vv. 67—69 (+1) 70 = 5 vv.

Tristius hoc, memini, e. q. s.

v. 66 (+2) = 3 vv.

Dulcius hoc, memini, e. q. s.

vv. 72—74 (+2) = 5 vv.

Tristius hoc rursus dixit mea fistula carmen.

vv. 76—81 = 6 vv.

Tristius hoc rursus dixit mea fistula carmen.

Redit igitur in ultima strophâ numerus versuum ad v. 48. Interiectae sunt sex strophae ternorum et quinorum versuum.

Eundem numerum senarium ex mea stropharum dispositione invenimus inter versum 7 et versum 47. Sex enim strophae sunt. A v. 86 poeta agro et Lydiae vale dicit. Haec pars habet intercalarem eum versum, qui v. 97 legitur:

Extremum carmen revocemus, Battare, avena.

Ad strophas constituendas versus 102 et 103 faciunt, qui post v. 90 transponendi sunt, tum etiam v. 96:

Sive eris et si non, mecum morieris, utrumque.

Videmus priori loco catalexin duorum versuum, altero unius esse. Quare ante v. 96 unum excidisse veri est simillimum. Ipse versus 96 maximam suspicionem movet. „Singulari enim brevitate poeta utitur. Plena sententia est: Sive eris, mecum eris, licet absens; sive non eris, h. e. sive mortua eris, mecum morieris, i. e. non eris mortua antequam ego moriar.“ Facillime est ad intelligendum, quam torta haec sit interpretatio. Ad explicandam sententiam vv. 102 et 103 Naekius uti non potest, quum post v. 90 collocandi sint. Si autem versus excidisse statuimus, obscuritas excusationem habet. Duae igitur valedictionis strophae sunt, quarum intercalaris v. 97 est. Hunc versum ad totam partem a v. 86—101 referendum esse, ex eo intelligitur, quod extremum carmen versibus 82—101 efficitur. Schema igitur extremae carminis partis hoc erit: vv. 82—85 = 4 vv.

Extremum carmen revocemus, Battare, avena,

vv. 86—90 + 102. 103 = 7 vv.

Extremum carmen revocemus, Battare, avena,

vv. 91—95 + (1) + 96. = 7 vv.

Extremum carmen revocemus, Battare, avena.

vv. 98—101 = 4 vv.

Necesse non est, ut plura de strophica Dirarum compositione adiciam, quum tota mea divisio natura atque proprietate carminis nitatur.

D I R A E.

- Battare, cycneas repetamus carmine voces:**
 divisas iterum sedes et rura canamus,
 rura, quibus diras in diximus, impia vota.
- Ante lupos rapiunt haedi, vituli ante leones,
 delphini fugient pisces, aquilae ante columbas 5
 et conversa retro rerum discordia gliscet
 multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
- Battare, cycneas repetamus carmine voces.**
 Montibus et silvis dicam tua fata, Lycurge:
 Impia Trinacriae sterilecant gaudia vobis, 10
 nec fecunda senis nostri, felicia rura, (10)
 semina parturiant segetes, non pascua colles,
 non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
 ipsae non silvae frondes, non flumina montes.
- Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.** 15
 Effetas Cereris sulcis condatis avenas, (15)
 pallida flavescant aestu sitientia prata,
 immatura cadant ramis pendentia mala,
 desint et silvis frondes et fontibus humor,
 nec desit nostris devotum germen avenis. 20
- Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.**
 Heu Veneris vario florentiaserta decore, (20)
 purpureo campos quae pingunt verna colore!
 Hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus agri
 mutant pestiferos aestus et tetra venena: 25
 Dulcia non oculis non naribus ulla ferantur.
- Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.**
 (Desunt decem versus, quorum reliquus v. 30:
 Nec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen.)
- Sic precor et nostris superent haec carmina votis.** (25)

- Ludimus et multum nostris cantata libellis,
 optima silvarum, formosis densa virectis, 40
 tondebis virides umbras nec laeta comantis
 iactabis mollis ramos infantibus auris,
 militis impia quom succedet dextera ferro, (31)
 formosaeque cadent umbrae, formosior illis
 ipsa cades, veteris domini felicia regna; 45
 nequicquam: nostris potius devota libellis
 ignibus aetheriis flagrabit. Iuppiter, ipse (35)
 Iuppiter hanc aluit: cinis haec tibi fiat oportet.
- Sic precor et nostris superent haec carmina votis.
- Threicis tum Boreae spirent immania vires, 50
 Eurus agat mixtam fulva caligine nubem,
 Africus immineat nimbis minitantibus imbrem,
 quom tua cyaneo resplendens aethere silva (40)
 norit iter ducens Erebo, tua, Lydia, Ditis.
- Sic precor et nostris superent haec carmina votis. 55
- Vicinae flammae rapiant ex ordine vites,
 pascantur segetes diffusis ignibus aerae,
 transvolet arboribus coniungat et ardor aristas:
 pertica qua nostros metata est impia agellos, (45)
 qua nostri fines olim, cinis omnia fiant. 60
- Sic precor et nostris superent haec carmina votis.
- Undae quae vestris pulsatis littora lymphis,
 littora, quae dulcis auras diffunditis agris,
 accipite has voces: migret Neptunus in arva, (50)
 fluctibus et spissa campos perfundat arena: 65
 qua Vulcanus agros pastus Iovis ignibus arcet,
 barbara dicatur Libycae soror altera Syrtis.
- Tristius hoc memini, revocasti, Battare, carmen.
- Nigro multa mari dicunt portenta natate, (55)
 monstra repentinis terrentia saepe figuris, 70
 quom subito emergere furenti corpora ponto.
- Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.

Haec agat infesto Neptunus caeca tridenti,
 atrum convertens aestum maris undique ventis
 et fuscum cinerem canis exhauriat undis: 75 (60)
 dicantur mea rura ferum mare, nauta caveto
 rura, quibus diras indiximus' impia vota.

Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.

Si minus haec, Neptune, tuas infundimus auris,
 Battare, fluminibus tu nostros trade dolores: 80
 nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica. (65)

Dulcius hoc, nemini, revocasti, Battare, carmen.

Flectite currentis lymphas, vaga flumina, retro,
 flectite et adversis rursus diffundite campis,
 incurrant amnes passim rimantibus undis: 85

 nec nostros exire sinant erroribus agros. (70)

Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.

Nil est quod perdam ulterius, merita omnia Ditis (66)
 90

Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.

Emanent subito sicca tellure paludes,
 et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim.
 Conchula et arguti grilli cava garrula rana 95

Tristius hoc rursus dixit mea fistula carmen. (75)

Praecipitent altis fumantes montibus imbres
 et late teneant diffuso gurgite campos, 100
 qui dominis infesta minantes stagna relinquunt,
 unde elapsa meos agros pervenerit unda:
 piscetur nostris in finibus advena arator, (80)
 advena, civili qui semper crimine crevit.

Tristius hoc rursus dixit mea fistula carmen. 105

O male devoti, praetorum crimina, agelli,
 tuque inimica tui semper discordia civis!
 exsul ego indemnatus, egens mea rura reliqui,
 miles ut accipiat funesti praemia belli. (85)

Extremum carmen revocemus, Battare, avena. 110

Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam,
 hinc ibo in silvas: obstabunt iam mihi colles,
 obstabunt montes; campos audire licebit:
 dulcia rura valete et Lydia dulcior illis
 et casti fontes et felix nomen agelli: (90) 115
 quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo, (102)
 gaudia semper enim tua me meminisse licebit. (103)

Extremum carmen revocemus, Battare, avena.

Tardius, ah miserae, descendite monte capellae,
 mollia non iterum carpetis pabula nota, 120
 tuque resiste pater. En prima novissima nobis
 intueor campos longum: manet esse sine illis.
 Rura valete iterum tuque, optima Lydia, salve: (95)

 sive eris et si non, mecum morieris, utrumque. 125

Extremum carmen revocemus, Battare, avena.

Dulcia amara prius fiant et mollia dura,
 candida nigra oculi cernant et dextera laeva,
 migrabunt casus aliena in corpora rerum: (100)
 quam tua de nostris emigret cura medullis. 130

ECLOGA E LYDIA.

Invideo vobis, agri formosaeque prata:
 hoc formosa magis, mea quod formosa puella
 est vobis: tacite nostrum suspirat amorem.
 Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
 vos nunc adloquitur, vos nunc adridet ocellis 5
 et mea submissa meditatur carmina voce,
 cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem.
 Invideo vobis, agri: discetis amare.
 O fortunati nimium multumque beati,
 in quibus illa pedis nivei vestigia ponet 10
 aut roseis digitis viridem decerpserit uvam, —
 dulci namque tumet nondum vitecula Baccho, —
 aut inter varios, Veneris stipendia, flores
 membra reclinarit teneramque inliserit herbam
 et secreta meos furtim narrabit amores. 15
 Gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata
 et gelidi fontes aviumque silentia fient;
 tardabunt rivi, labentes currite lymphae,
 dum mea iocundas exponat cura querelas.
 Invideo vobis, agri: mea gaudia habetis, 20
 et vobis nunc est, mea quae fuit ante, voluptas.
 At male tabescunt morientia membra dolore
 et calor infuso decedit frigore mortis,
 quod mea non mecum domina est. Non ulla puella
 doctior in terris fuit aut formosior, ac, si 25
 fabula non vana est, tauro love digna, vel auro —
 Iuppiter avertas aurem — mea sola puella est.
 Felix taure, pater magni gregis et decus, a te
 vaccula non unquam secreta cubilia captans
 frustra te patitur silvis mugire dolorem. 30
 Et pater haedorum felix semperque beate:
 sive petis montes praeruptos, saxa pererrans,

sive tibi silvis nova pabula fastidire,
 sive libet campis, tecum tua laeta capella est. 35
 Et mas quodcumque est, illi sua femina iuncta
 interpellatos nunquam ploravit amores.
 Cur non et nobis facilis natura fuisset?
 cur ego crudelem patior tam saepe dolorem?
 Sidera per viridem redeunt quom pallida mundum
 inque vicem Phoebe currens atque aureus orbis 40
 — — — — —
 Luna tui tecum est: cur non est et mea mecum?
 Luna, dolor nostri quid sit: miserere dolentis.
 — — — — —
 Phoebe, gerens in te laurus celebravit amorem
 — — — — —
 et quae pompa deum
 — — — — —
 non silvis fama loquuta est
 — — — — —
 omnia vos estis
 — — — — —
 secum sua gaudia gestat 45
 aut insparsa videt mundo, quae dicere longum est.
 Aurea quin etiam quom saeculaolvebantur,
 — — — — —
 condicio similisque foret mortalibus illis
 — — — — —
 haec quoque. Praeterea notum Minoidis astrum
 quaeque virum virgo sicut captiva sequuta est. 50
 Laedere, coelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
 condicio nobis vitae quo durior esset?
 Ausus ego primus castos violare pudores
 sacratamque meae vittam temptare puellae,
 immatura meae quoque nexae solvere fata? 55
 — — — — —
 Istius atque utinam facti mea culpa magistra
 prima foret: letum vita mihi dulcius esset.
 Non mea non ullo moreretur tempore fama,
 dulcia quom Veneris furatus gaudia primum

dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas. 60

— — — — —
 Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
 auctor ut occulti noster foret error amoris.
 Iuppiter ante sui semper mendacia furti
 cum Iunone, prius quam coniunx dictus uterque est,
 gaudia libavit dulcem furatus amorem 65

— — — — —
 et mecum tenera gavisa est ludere in herba
 — — — — —

purpureos flores, quos insuper accumbebat
 grandia formoso supponens brachia collo.
 Tum credo fuerat Mavors distentus in armis:
 nam certe Vulcanus opus faciebat et illi 70
 tristi turpabat malas fuligine barba.

Non aurora novos etiam ploravit amores
 atque rubens oculos roseo celavit amictu?
 Talia coelicolae. Numquid minus aurea promo?
 Ergo quod deus atque heros cur non minor aetas? 75

Infelix ego, non illo qui tempore natus,
 quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
 nascendi, miserumque genus, quoi sera libido.
 Tantam vitae in me cordis fecere rapinam,
 ut maneam quod vix oculis cognoscere possis. 80



ADNOTATA AD DIRAS.

Vv. 6, 7 in difficillimis totius carminis habetur. Omnes enim viri docti, qui in Diris emendandis elaborarunt, alius alia via aut librorum manuscriptorum aut coniecturae auxilio ad verum penetrare nitebantur. Neque Naekii novissima loci explicatio ei, qui omnia diligenter perpendat, satisfacere potest. Sed prius quam meam de loco sententiam proponam, videamus, quid in libris aut scriptum aut impressum inveniat. In Vossiano II, Romano II, Venetis Achat., Rub., Iens., Vicentina, in Venetis Burmanni, Brixiensi et in omni libro ante Aldinas ita distinguitur:

Et conversa retro rerum discordia gliscet
 multa prius: fuerit quam non mea libera avena.

Quae interpunctio invenitur etiam in Lugdun. 1529, in Scaligeranis, Pithoei, Wernsdorfii, Eichstadii, Putschii editionibus. In Aldinis autem haec est sententiarum dispositio:

discordia gliscet.

Multa prius fient: quam non mea libera avena dicat

Haec e Naekio. Iam vides inter utramque sententiam maximam differentiam intercedere. In priori enim est multa generis feminini ac referendum ad discordia, in altera gen. neutr. et subiectum, libera avena subiectum ad dicat referendum quum in priore loco libera avena subiectum ad fuerit transfertur. Praeterea gravior diversitas haec est: fient legitur in Petaviano, Thuaneo, Mediceo, Augustano, Parisino IV, Anglicano et „si fides silentio Vossii,“ Vossiano I, Monacensibus I, II et Helmstadiensi, fuerit in cod. Basil., Vossiano II, Vratislav. I, II. Unde haec scripturae diversitatem explicemus? Iam illud a nemine in dubium vocari poterit, a versu:

Montibus et silvis dicam tua fata, Lycurge,
 novam incipere sententiam, quum stropharum ratio, quam supra proposuimus, novum omnino enunciatum postulet. Ponenda igitur post avena distinctio maxima. Quare dicat Aldinarum in

dicam mutandum est. Ego discedo a Naekio atque eos libros sequor, qui scriptum habent:

Et conversa retro rerum discordia gliscet
 multa prius, fuerit quam non mea libera avena.

Ac ne solam virorum doctorum et quorundam librorum auctoritatem sequi videar, rationes addendae videntur, quibus ductus ita scribendum esse putaverim. Comparantur versus 98 — 101, ubi quatuor subiecta: dulcia, mollia, candida, dextera itemque quatuor praedicata: amara, dura, nigra, laeva inveniuntur, tum duobus sequentibus versibus eandem sententiam enunciato latioris ambitus poeta complectitur. Si nostro loco multa pro gen. neutr. habetur, quinque subiecta et quinque praedicata apparent. Ut aequalitas stropharum servetur, multa pro gen. fem. haberi debet. Commate post gliscet posito inferri videmus generalem sententiam, cui in ultima stropha nihil respondet. Quid? poetam, quum accuratissime singula singulis respondere vellet, negligenter egisse putemus? Accedit, quod ad multa prius aut fuerint aut fient suppleri oportet. Non est hoc „nervosa brevitatis“ sed sine nervo et elumbis tautologia. Scribendum erat omnia. Quod vir doctus e Graeco affert: πάντα δ'ἑνάλλα γένοιτο a multa prius (fient aut fuerint), si sententiam spectemus, diversissimum est. Denique sententia: multa prius fient absurda est. Quis est qui dubitet, quin multa fieri possint, omnia autem fieri posse nemo certe affirmabit. Et tamen poeta dicere voluit, ea quae fieri non possint, prius fore ut fiant, quam eius avena libera non sit futura. Ex his satis intelligitur, verba multa prius cum v. 6 unam eamque integram sententiam efficere et multa ad discordia referri debere. Multa hoc loco προληπτικῶς dictum esse certissimum est: discordia gliscendo multa fiet. Videmus igitur etiam hoc loco gliscere propriam suam vim crescendi tueri, non, quae Naekii opinio est, incipiendi, oriundi. Huiusmodi autem prolepsis neque apud Graecos et Latinos poetas rara est, et ipse poeta versu 16 eadem dicendi figura usus est: Pallida flavescent aestu sitientia prata i. e. flavescendo pallida fiant. Ac si quis hoc mihi obiiciat, adiectivum multus non bene dici de iis rebus, quae solo gradu differant, qualis est discordia, sed de iis, quae numero et multitudine discernantur, is velim consideret, menti poetae obversari omnium

rerum perturbationem, in qua certe diversitas atque multitudo discordiarum cernitur. Ceterum et apud Graecos adiectivum *πολύς* et apud Latinos adi. multus quamquam rarius hac vi invenitur. Scriptura autem plurimorum et optimorum codicum fient inde orta esse videtur, quod librarii prolepsin non animadvertabant. Tum fuerit mutatum est in fient, denique v. 8 dicam in dicat.

V. 8. Hic versus editoribus difficilis visus est. Quaeritur enim, utrum facta legendum sit an fata. Facta legitur apud Naekium in Paris. II, in editionibus Romana II, Mutinensi, Venetis Rub. et Ienson. et Aldinis; fata autem in Med., Petav., Thuan., Leidensi Burmann., Paris. IV, August., Monac. I, II, Vratisl. I, Tegerns. et Weyhensteph. Plurimi igitur et optimi libri fata habent. Quod ego quoque tuendum esse censeo. Naekius totum hoc de Lycurgo non feliciter a Catone inventum putat; Lycurgum enim illum Thracem non tam in montes et silvas grassatum esse, quam in vites. Sed virum doctissimum non ita iudicaturum fuisse puto, si pro facta scripturam optimorum codicum fata recepisset, qua sola omnis loci difficultas tollitur. Namque haec sententia: montibus et silvis dicam tua facta a carmine est alienissima. Ubi enim poeta Lycurgi facta narrat? Nullum in toto carmine eiusmodi locum reperies. Et iure quidem; „poeta enim non vult, ut miles agrum corrumpat, sed ut evertatur ager, ne miles eo frui possit.“ Versu 8 execratio incipit, qua agrum everti et corrumpi optat poeta. Ipse iam agri voluptatibus frui non potest; alius enim dominium factus est; militi poeta voluptates agri invidet, huic nullum fructum ex eo nasci precatur. Catonem videmus novo possessori fata tristissima precari, quae cum montibus et silvis communicat, ut quasi testes execrationis fiant. Est enim poeta cogitandus in solitudine agri commorans (cf. v. 86), ubi montes et silvas solos devotionis testes habet: „audite montes, audite silvae, quae fata illi, qui agrum meum possidet, precabor.“ Deinde ipsam execrationem exorditur: Impia Trinacriae sterilecant gaudia vobis. Si ita locum interpretamur, certo elucet, neque de Lycurgo Thracio cogitari posse, neque dicam idem esse atque imprecabor. Denique quid Lycurgi referebat, poetam montibus et silvis facta eius narrare? Lycurgum autem militem esse censeo,

cui poeta agro cedere coactus erat. Sed utrum verum eius nomen sit an fictum, ii quaerant, qui tantulis minutis delectantur.

V. 9. Post *Lycurge* maiorem distinctionem posui. Poetam enim imprecationem ab integro versu incipere consentaneum puto. Fata denique eo sensu, quem supra statuimus, impia parum recte nominantur. Gaudia vero agri iure dicuntur impia, quum *Lycurgus* contra ius fasque iis frueretur. „Mirum est *Trinacriae* gaudia. Poeta ut paulo ante non satis feliciter se doctum praebuit mentione *Lycurgi*, ita hoc loco, dum vult docte, paulo loquitur obscurius.“ Ita *Naekius*. Sed locum priorem satis feliciter mihi videor explicuisse neque hic quidquam habet difficultatis, si *Trinacria* agro nomen fuisse statuimus. Fortasse illud nomen poeta agro suo propter fertilitatem, fortasse propter formam et speciem dederat. *Trinacriae* gaudia non sunt segetes, sed gaudia, quae ex agro amoeno percipiuntur. Sterilescant *μεταφορικῶς* poetam usum esse puto, ut nos dicimus „das *Vergnügen* ist zu Wasser geworden.“ Quo modo *Lycurgo* gaudia sterilescere debeant in sequentibus dicitur.

V. 15. Sulcis libri scripti optimi *Petav.*, *Thuan.*, *Leidens.*, *Paris.* II, III, IV, *Anglic.* *Monac.* I, II, *Vratisl.* I, *Tegerns.* et *Weyhenst.*; sulci *cod. Basil.*, *Vratisl.* II, *Voss.* II. Priorem scripturam genuinam iudico et propter librorum auctoritatem et propter carminis indolem. Poeta enim magnus apostrophes amator est. Quemadmodum v. 9 sterilescant gaudia vobis dixit, sic etiam hoc versu novum agri possessorem cum eius familia alloquitur. *Cod. Thuan.*, quum habeat *effetis*, coniunxit hoc adiectivum cum sulcis, sensu non inepto.

V. 16. Pallida *προληπτικῶς* dictum est.

V. 17. Notandum est, ramis et ad cadant et ad pendencia referendum esse, quare inter utrumque in medio collocatum est.

V. 18 sententia non differt a v. 13.

V. 19. Non esse hunc versum intercalarem sed strophae finem indicare supra vidimus. *Codd. Monac.* I, II, *Tegerns.*, *Weyhenst.* pro carmen scriptum habent *gramen*, *Vratisl.* I, *germen*, quas scripturas *Naekius* mirum commentum appellat. Sed idem *V. D.* addit: „devotum carmen nemo fortasse dixit praeter *Catonem*.“ Devotum idem esse atque devotivum

et imprecativum seu execratorium equidem non crediderim. Itaque aut germen aut gramen scribendum est, unde hic sensus oritur: „nostrae avenae (i. e. nostrum carmen execratorium) id efficiant, ut germen vel gramen devotum sit, sive devoveatur.“ Sic sententia catalexeos, ut reliquarum, arctissime cum strophae sensu cohaeret. Carmen ab librario scriptum esse opinor, cui natura totius carminis observabatur.

V. 20 seq. Hinc legitur v. 20 in Voss. I, quem secutus est Eichstadius, haec in reliquis. V. 21 pro pingunt verna vulgo pingit avena. Purpureos Basil., Vratisl. II, Voss. II; purpureo in Med. a manu secunda in Thuan., Paris. III, Monac. I, II, Vratisl. I. V. 23 mutant Petav., Thuan., alii; mittent Monac. II, Tegerns., Weyhenst.

Ad versus 20—23 apud Naekium invenimus hanc notam Jod. Badii Ascensii: „Haecserta Veneris, i. tam pulchra et odorifera ut Veneris dicas: florentia vario colore: aurae dulces, i. suaves: hinc id est procedentes ab his sertis: et spiritus agri id est flatus et odor diffusus per agrum: hinc id est ex his sertis: mutant id est per immutationem producant; aestus pestiferos et venena tetra id est diras infectiones et pestilentias.“ Addit Naekius: „Perbene assequutus est sensum Catonis, qui singulari brevitate, hinc aurae d. hinc suavis spiritus a.“ scripsit, i. e. quae hinc prodeunt aurae, qui hinc prodit spiritus.“ Videmus Naekium Badii interpretationi accedere. Sed ista brevitatis mihi quidem nimis singularis videtur atque a sermone latino alienissima, quum haec lingua articulo careat. Sed Graeci dicunt: *οἱ ἐντεῦθεν ἄνεμοι, τὰ ἐντεῦθεν πνεύματα*. Rem ita expedio.

Aurae dulces et suaves spiritus agri non refero ad flores. Versus enim 20 et 21 quodammodo absolute positi sunt, quare nescio an non melius heu pro haec scribatur. Sensus loci igitur hic erit: „O pulcherrimi flores! Hinc (i. e. ex floribus) aurae (quondam propter florum odores) dulces, hinc (i. e. ex floribus) spiritus agri (olim propter florum odores) suaves mutant pestiferos aestus et tetra venena; florum odore pestiferi fiant et veneno inficiantur, vel: dulces aurae et suaves spiritus agri pro suavi et dulci odore, quem olim ex floribus receperunt, nunc aestus pestiferos et tetra venena recipiant.“ Omnis loci difficultas in prima v. 20 voce posita est. Si cum Voss. I hinc

legimus, trifaria anaphora est. Hinc autem ad praecedentis strophae sententiam referendum est, ubi poeta omnem vim creatricem naturae devovet, qua sublata necessario pestis oritur. Hinc id est ex hac peste flores mutant e. q. s.

V. 24 est strophae catalexis. Heinsius pro auribus coniecit naribus, quum flores non aures sed nares delectent. Recte, quamvis Eichstadius et Naekius Heinsii opinioni non accedant. Nam illud facile demonstrari potest, poetam hac stropha de solis floribus loqui; aurae autem et spiritus agri non memorantur, quatenus ex iis aliquid iucunditatis percipitur, sed quatenus odore florum veneno et aestu pestifero inficiuntur. Concederem Naekii explicationi, si poeta antea exposuisset, quam voluptatem aurae et spiritus agri ei comparassent. Quae quum ita sint, profecto non intelligo, quomodo floribus aures delectari possint. Est quidem verum susurrum (*ψιθυρισμὸν*) saepissime a poetis et Graecis et Latinis commemorari, sed ubique sensu a nostro loco alieno. Quare non dubito Heinsii coniecturam recipere, praesertim quum facile lectio maxime prodigiosa unde orta sit explicari possit. Bis enim scribenda erat litera N: non naribus. Quid? si librarium unum n fugiebat, restabat non aribus, unde levi mutatione fiebat non auribus.

V. 26 incipit stropha, qua poeta silvam execratur.

V. 27: virectis Thuan., Paris II, August., Monac. I, Tegerns., Weyhenst. Vratisl. I.

V. 28: tondemus omnes libri praeter Thuan., Paris., II., Anglic., August., in quibus est tundemus.

V. 29. Comantes vulgo, comantis August., Petav., Thuan., test. Heinsio apud Naekium.

V. 30. Quid de hoc versu iudicem supra exposui.

V. 31. Succedet Thuan. cum optimis codicibus.

V. 32. Cadunt optimi libri. Thuau., Paris. II., August., Angl., Monac., I, II, Vratisl. I, Tegerns., Weyhenst.

V. 34. Mihi non convenit cum Naekio, qui minore interpunctione nequicquam ab iis, quae antecedunt, separavit et sic interpretatur sententiam: „olim me domino felicia, sed nequicquam felicia, quia olim felicia, nunc non sunt.“ Ego vero maiori distinctione uti malim, quo nequicquam per se plenam sententiam efficiat, quam his verbis ellipsi

suppleta reddere possumus: Frustra Lycurgus silvam lucrum ex ea facturus succidere conabitur, quum potius ignibus aetheriis flagrabit. Novus enim possessor, id quod non raro accidisse veri simillimum est, succisurus silvam erat, ut ex lignis pecuniam faceret. Nequicquam igitur laborem caedendi suscepit, quum Iuppiter silvam in cinerem versurus esset. Itaque etiam hoc loco nequicquam „ad universam sententiam praecedentem“ refertur, ut in locis iis, quos Naekius ex Lucretio attulit. Quod idem V. D. dicit, inter nequicquam et verba quae sequuntur: nostris potius devota libellis nullum nexum causalem esse, minime verum est, quum potius hoc loco eandem vim habeat atque quoniam apud Lucretium. Poterat enim poeta coni. quoniam uti: nequicquam succides silvam, quoniam ignibus aetheriis flagrabit. Quare post regna punctum, post nequicquam duplex punctum posui. Ab hoc versu responsionem ad v. 26 incipere, quae est sententia V. D. in censura dissertationis meae de strophica Diarum compositione, omnino negandum est. Nam primum obstat loci sensus, quem statuimus, deinde etiam natura et indoles versuum 34—36, qui catalexin strophae efficiunt.

V. 33 habent egregius August, Vratisl. I., Tegerns. et Weyhenst. regna pro vulgato ligna. Prius iam Heinsius suspicatus est, et ego in textum recipiendum esse puto. In omnibus enim locis a Naekio prolatis lignum nusquam adiectivum bonae notionis habet, ut Horatianum illud „te triste lignum, te caducum et fragm. Lucilii ap. Nonium p. 74, 20: arduum miserimum atque infelix lignum sambucum vocant. His locis de sola ligni materia agitur, idemque valet de locis Virg. A. XII, 767:

foliis oleaster amaris

hic steterat, nautis olim venerabile lignum;
et Virg. G. II, 118:

Quid tibi odorato referam sudantia ligno balsama?

Nostro autem loco agitur de silva, quoad ex arboribus constat. V. 35 Juppiter non est vocativus sed subiectum, quod ad aluit refero. Non fit hoc loco, quae Naekii sententia est, apostrophe ad Jovem, sed verba causam ignium aetheriorum indicant. Juppiter enim moderator et rector tempestatum est. Qui quum silvam aluerit, solus eundem ignibus aetheriis, quos

idem regit, delere potest. Tibi non refero ad Jovem sed ad Lycurgum: Silva tibi, Lycurge, cinis fiat oportet. Est enim nostri poetae proprium, ut in fine stropharum interdum ad personam aliquam sese convertat. Cf. v. 8: dicam tua fata, Lycurge; v. 9: sterilescent gaudia vobis; v. 15: sulcis condatis.

V. 37. „Consistit poeta in contemplatione tempestatis, per quam perire silva debeat, et alia affert ex natura rerum, quae tum vult accidere. Itaque ventos vocat in societatem incendii. Intelligit autem ventos, non qui praecedunt fulmina Iovis, sed furentes, dum ardet silva. Nam versibus 40, 41 non primum incidens fulmen, initiumque incendii, sed ipsum iam gliscens longe lateque iteratis fulminibus incendium silvae significari patet. Igitur ventos commemorat, partim quia augent incendium venti, partim ut ignem, disturbatum insania ventorum aera, caliginem a nubibus super impendentibus in unam formidolosam coniungat imaginem.“ NAEKE.

V. 41. Hunc versum nondum emendatum esse puto, quamquam non habeo, quae ad eum emendandum facere possint. In ea quae sequitur strophæ poeta a silva ad vites et segetes, quae silvae vicinae erant, devovendas transit.

V. 43. Lectionem auræ optimorum codicum et veterum editionum omnium retinendam esse censui, quod sensus loci scripturam auræ a plerisque receptam minime postulat. Quemadmodum enim poeta per prosopopoeiam Boream, Eurum, Africum, flammæ, ardorem personas finxit, ita etiam auræ. Si segetes nomin. est ad pascantur referendus, dictum non est, a quo segetes pasci debeant. Aequalitas igitur sententiarum postulare videtur, ut auræ scribatur: Vicinae flammæ rapiant vites, auræ pascantur segetes, ardor transvolet et coniungat aristas arboribus.

nomin. flammæ, auræ, ardor,
 accus. vites, segetes, aristas,
 praed. rapiant, pascantur, transvolet et coniungat.

V. 52. Non est causa, cur a scriptura optimorum librorum Vulcanus discedam.

V. 55—57 sunt proodus sequentis strophæ.

V. 58 omnes codices praeter Paris. IV legunt infesta pro infesto. Cod. Vratisl. I infessa quod fortasse genuinum est. Sensum certe toti carminis consilio optimum praebet.

V. 60 pro canis Paris. IV, liber non contemnendus, cavis habet, qua lectione bonus sensus efficitur.

V. 66. Hunc versum neque ad antecedentia neque ad sequentia aptum esse supra vidimus. Utrum autem dictis, an Ditis an dicis cribendum sit, decerni non potest, quum duo sequentes versus exciderint. Sed tamen magis placet Ditis antiquorum codicum. Ante v. 70 unum versum excidisse supra vidimus.

V. 74 primi vocabuli in libris scriptis mira est scripturae perturbatio, quam hic totam propono, quoniam magnopere ad meam de loco sententiam probandum confert. „Editum ubique Occupet erat, nisi quod Occupat mendose in Veneta Achat. At quid libri scripti antiqui? Coculet arguti vel Coculetarguti, Cocul etarguti, confusis syllabis, Petav., Paris. II, III, August., Monac. I, II, Tegerns., Weyhenst. Cogulet vel potius, Lasseno teste, cogule targuti Thuan. Concule (vel conctule) targuti Paris IV. Conculcent arguti Med. Conchulae ubi a. Voss. I. Conculae. et a. Anglic. Occulet Vrat. I.“ Ex his formis editores aut occupet aut occubet (Naekius) fecerunt. At librarios tam imperitos sermonis latini fuisse, ut eos verba usitatissima et frequentissima occupare et occubare fallere potuerint? Ego non credo. Lectiones istae ex vocabulo ortae sunt, quod non frequens librariis obvium erat. Proxime ad verum mihi videtur accedere Voss. I, sequitur Anglicanus, tum Parisinus IV. Ut breviter dicam, scriptum erat conchula et, unde abiecta in legendo syllaba a, factum est conchul et.*) Ubi autem n in conchula deest, per cō indicatum erat; quo neglecto, reliquae scripturae, ut coculet (= conchula et) ortae sunt. Possit etiam pro conchula scribi cochlea et, sed obstant libri, in quibus syllaba con scripta est. Quae si recte disputa sunt, quod neminem negaturum esse confido, sequitur, ut post versum 74 quaedam excidisse statuamus, quae sententiam reddebant plenam. Iam vides, sententiam meam, quam supra de loco proposui, etiam librorum scriptorum auctoritate confirmari.

*) Librarius enim scripsit, ut pronunciabat: conchul'et. Simiter in Augustano v. 79 scriptum est und elapsa pro unde elapsa, et in aliis unde lapsa.

V. 75 in Petav., Thuan., Paris. II, III, IV, Anglic., Monac. I, II, legitur dicit, quod facilius ex dixit, quam ex dicat oriri potuit. Quare dixit scripsi.


V. 94. Naekius scripsit ensis in illis, quae tamen lectio a codicibus manu scriptis minus probatur. Recepti scripturam librorum esse sine illis, qua aptissima loco sententia efficitur.

V. 97. Extremum carmen non est quod extremo loco dixi (Wernsdorfius), aut versus, qui proxime praecedat (Naekius), sed tota pars carminis a v. 81 ad v. 101.

V. 98. Fiant Petav., Medic. apud Burmannum, Thuan., Paris II, III, IV, Anglic., August., Monac. I, II, Vratisl. I, Tegerns., Weyhenst., quare hanc lectionem retinendam esse censeo. Fient in nullo libro scripto.

V. 99. Cernant iidem libri antiqui.

Quum hic libellus Gymnasii programmati addendus esset, fieri non potuit, ut Commentarius in Eclogam typis exprimeretur. Quare in aliud tempus reponendus erat.



Corrigenda.

Pag. 7 vers. 13 ab inf. marg. pro carmen lege germen.
 „ 11 „ 10 „ „ „ „ „ duplicem lege duplicem.

V
 i, ll, le
 potuit.
 V
 a codi
 libroru
 citur.
 V.
 dixi (k
 kius),
 V.
 Paris I
 gerns.,
 Fient
 V.

Quu
 potuit, u
 tempus r

Pag.
 ”

V, Anglic., Monac.
 nam ex dicat oriri

quae tamen lectio
 Recepi scripturam
 loco sententia effi-

od extremo loco
 ne praecedit (Nae-
 01.

ermannum, Thuan.,
 II, Vratisl. I, Te-
 endam esse censeo.

us esset, fieri non
 tur. Quare in aliud

germen.
 ge duplicem.

A 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19



TIPPEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007